



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

13. Gregorij Pontificis VII. & Conradi II. Imperatoris futur[a]e potestatis à
Deo ominosus & efficax casus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

bandam, caneret, oculi, vi diuina, cauis veneficæ orbibus euulsi illum ipsum versum cruore notabilem fecerunt. Fuit autem & illud luculentum diuini iudicij testimonium; quòd, postquam Kenulphus Merciorum rex Kenelmum Quendridæ fororis fidei, fratrem ipsius, filium suum commendauit, eaque illum, per speciem venationis, in siluas eductum à satellite obruncatum, tanquam nouum Polydorum, inter fruteta sepultum, occultauit, Romæ columba, super altare S. Petri, membranam litteris Anglicanis exaratam deiecerit, in qua, ordine, & latrocinium, & locus sepulturae occisi Kenelmi detegebatur. Sic omnia fiunt palam, sed nihil minus latet, quàm homicidæ: & innocentia Casusq, Deusq, patrocinator.

De Gregorio Papa VII. refert Cæsar Baronius, eum fuisse patriam Soanensem, è Tusciæ ciuitate, natum humili loco, parente fabro (quod ignominia causa aduersarij illi obiecerunt, cùm tamen ipse Dei Filius fabri filius uoluerit dici) cum puer esset, lussitasse ad pedes patris ligna dolantis; atque tum ex reiectaneis segmentis, cum nesciret litteras, casu elementa illa formasse, ex quibus simul coniunctis illud Dauidicum exprimeretur oraculum: **DOMINABITVR A MARI VSQVE AD MARE;** quo significaretur (manum pueri ductante Numine) eius fore amplissimam in Mundo auctoritatem. *Hæc cunabula eius, & quod in puero præostensum est diuinitus signum,* ait Cardinalis. Vnà ergo fuit videre, in puero casum, & à Deo vaticinium; quod nequam credendum est, casu accidisse, sed consilio diuino. Quem admodum & illud, quod Gotfridus Viterbiensis de Conrado II. Romanorum Imperatore refert his verbis: *Cuano dux erat, summus inter Principes, sperans sine dubio Imperium obtinere: qui à ceteris principibus interrogatus: Quisnam ad imperium aptior uideretur? Respondit quasi derisorie, dicens: Nepos meus dux Conradus uidetur ad Imperium aptissimus. Credebat enim hoc impossibile, & propterea eum nominauit. Quo audito, uniuersi laudant eundem Conradum, & eligunt eum. Dux uero Cuano contra dixit. Sed tamen præualuit electio uniuersorum.*

Addam, quod oculatus testis retulit, de Sartore quodam, qui iuuenis adhuc, in Austria, magistro suo 50. florenos subduxit, & cum illis abiens varias prouincias est peruagatus. donec & ipse Magistrum ageret, Abierunt à furti tempore 50. itidem anni. Ac-

H h cidit

XIII.

Baron. tom. 11. Annal. An. Christ. 1073. n. XVI.

Psal. 72.

Gotfr. Viterb. part. 17. Chronici.

XIV.